

CAPUT VIII.

DE PECCATO.

Quid de peccato Conscientia Hominis Christiani debeat statuere?

DOcet id Scriptura sacra, quæ breviter & rotundè peccatum describit per *ἀνομίαν* sive illegalitatem 1. *Iohan. 3. v. 4.* adeoque peccatum nihil aliud est, quam difformitas à lege: quorsum collimat Ebræum Vocabulum *Chatta* & Græcum *ἀμαρτία*, quorum utrumque aberrationem à via & Scopo denotat. Patrum Chorus ex quo producimus *Ambrosium* qui peccatum vocat legis divinæ prævaricationem, & cœlestium Inobedientiam præceptorum, cui *Damascenus* adstipulatur lib. 4. de Orthodoxa fide c. 23. qui describit per *ἡὲς ἐντολῆς καὶ διαβάσεων*: Ipsa denique Ratio, quia hîc habetur Genus & Differentia, quæ naturam peccati exprimunt, illud quidem in nomine Defectus vel Aberrationis, quod probavit quoque ex Pontificiis *Gregorius de Valentia* Tomo secundo Disp. 6. quæst. 1. hæc vero mentione facta legis tanquam Objecti, à quâ deficit. Non addimus autem Calculum Pontificiis, qui peccatum describunt per Defectum voluntarium: neque enim peccatum ut sic, vel omne est voluntarium eo sensu, quem Pontificii intendunt, quibus præluserunt *Pelagiani*, ut constat ex *Augustini* lib. 3. de peccatorum Meritis & Remissione cap. 3. insecuti vero sunt *Soeiniani* & *Arminiani*, ut patet ex Disp. secunda *Smalcij contra Franzium*, & *Apologia Remonstrantium*, qui contra naturam peccati esse censuerunt, ut censeatur peccatum, aut ut propriè in peccatum imputetur, quod propria Voluntate comessum non est. *Secundò* iisdem, qui omnium actuum Moralium Regulam negant esse Legem divinam, & peccata venialia non contra legem divinam ferri opinantur, sed præter eam committi. *Tertiò* iisdem, qui prætendunt semper, non definiri peccatum ab Apostolo: illam *Augustini* laudant, quod sit dictum factum vel concupitum contra legem DEI æternam. Nam *primò* quæ Scriptura nobis suppe-

ditat